

snam, quas aliqui fratrum hujus provinciae tenebant. Patet etiam differentia inter clerum curatum ordinarium provinciae et missionarios s. d. apostolicos.²⁴

Eodem quasi tempore fr. Jacobus Boncarpi, episcopus Himeriae, administrator dioecesis samandriensis, obicit S. Congregationi, quare fratribus bosnensibus concesserit Breve promulgandi indulgentias. Ipse putat tale Breve propter falso adductas rationes impetratum fuisse; ideo nempe, tamquam in Bosna nulla ecclesia formalis esset, at revera Franciscani habent 17 conventus formales cum pulchris ecclesiis in quibus 5—7 altaria privilegiata inveniuntur; in parochiis autem pauca tantum sacella abscondita et amovibilia sunt.²⁵ Deinde testatur de relative magna libertate religionis sub othomano gubernio.²⁶

Non aliter sensit de missionariis apostolicis episcopus bosnensis Maravić, qui a. 1658 scribit S. C. de Propaganda fide in Bosna non esse missiones, et S. Congregationem creando missionarios suis litteris patentalibus nonnisi perturbationes in illis regionibus creare.²⁷ Alii episcopi bosnenses semper loquuntur de parochiis formalibus, juribus et oneribus episcopi dioecesani, numquam de missione qua tali; jura sua nullatenus ex conditione extraordinaria illius ecclesiae vel statu ejus missionario repetunt, sed ex legibus a Tridentino Concilio et Constitutionibus Apostolicis pro

²⁴ Ibidem, 446 sq., n. 1368.

²⁵ »...e li (i. e. patri provinciali) feci vedere, come in quello hanno supposto molte cose contrarie al vero, ciò è ch' in Bosna sotto al Turco non sia alcuna chiesa, havendo eglino sedici conventi formali con le chiese ben' all' ordine e libere, come tutti sanno in questi paesi, anzi in alcune sono li sette altari privilegiati, e che pochi o nissuno di quelli oratori amovibili o capelle secrete si trovano«. *Fermendžin*, *Acta Bosnae*, 450 n. 1373.

²⁶ »...in tutti gli altri luoghi (ejus administraturae) possono le chiese paragonarsi a quelle che sono nelle migliori ville d'Italia essendo libero per tutto, ove sono christiani, dir messa e far l' altre funtioni, come in chistianità«. Ibidem, 450—451, n. 1373.

²⁷ Ex relatione hujus episcopi exscribit referens in sessione S. Congregationis: »Che in quelle parti non servono missionari, perchè da pertutto vi sono conventi, e li frati, che domandano quà la missione, sono quelli, che non vogliono star sotto l' ubbidienza«. *Archivum Prop.*, *Acta 1658*, v. 27, f. 141 ss.